

Priesterschaft verdorben/ und 2) die Ordinair-Bedienung welche Gott zur Erweckung der Menschen gebrauchet/ 3) zum opere operato, 4) Abgötterey und 5) Gewohnheit/ und also nicht nur allein 6) unfruchtbar/ sondern auch 7) höchstschädlich bey dem Volck geworden/ quae gravissimae accusationes docent

I. Non modo eos de uno alteroque *ministro impio* ejusque indignis se gerendi rationibus & impedimentis, quae inde ad profectus pietatis in auditoribus redundare videntur, sed de toto ministerio criminationes suas velle intellectas. II. *Dispensationem hodie ordinariam* in praedicatione verbi & administratione Sacramentorum consistentem *nullius esse ponderis*, ubi notamus dici, quod DEVS opera oeconomiae hactenus consvetae usus sit ad homines *excitandos*. Quidni vero convertendos & salvandos? ὑπερλόγῳ τι haec verba fovere, neque nos nodum in scirpo quaerere, apparet ex eo, quia dissentientibus hodiernis in causa Pietismi quam maxime est familiaris. III. *Oeconomiam TOTAM factam esse opus operatum*, atque ubi de nonnullis id non praeter rem dici potest, in universum de omnibus asserunt. IV. *Idololatriam introductam* esse queruntur. Non dubium est hoc modo nobis objici *Anthropolatriam, Symbolatriam, Grammatolatriam*, quando jure provocamus ad consensum doctorum sincerorum, ad unanimem doctrinam Symbolorum, ad literam Scripturae disertam. V. *Meram consvetudinem & ritum factum esse cultum Dei* asserunt, satis esset, si abusus nonnullorum taxarent: Satius si sua agerent, & ut ipsi cultum Numini candidum & genuinum praestent, operam navarent. VI. *Oeconomiam praesentem per ministerium publicum & ordinarium esse factam sterilem & infocundam*: quod si se ita haberet, nulla prorsus ecclesia etiam inter puram ac simul abundantem verbi divini praedicationem & Sacramentorum dispensationem daretur, aut in latebris saltem lateret, aut inter Fanaticorum limites conclu-